Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

solet in consuetudine latini sermonis, quod plus est quam debet. Cui
contrarium est parum, quod minus est quam debet. Sed nimis grece ΑΓΑΝ dicitur. Iste
autem versus non habet ΑΓΑΝ, sed habet FRODA. quod quidam nostri sic interpretati sunt,
ut pro eo ponerent aliquando nimis, aliquando valde. Sed si nimis pro eo quod est valde
intelligitur, potest et in laude poni. Nam et ista confessio laudem significat.
Ita enim sequitur: Et in medio multorum laudabo eum. Dicit et in alio psal-
mo: In medio ecclesie laudabo te. Sed cum ipsa cantat ecclesia que corpus est Christi,
quomodo in medio ecclesie cantat ecclesia? Ita et hic multi cum sint membra
Christi, sicut ipsi laudant ille laudat qui est in medio eius. Quomodo in medio
multorum laudat, quando ipsis multis laudantibus dicitur ipse lau-
dare? An ideo laudat in medio multorum, quia cum ecclesia sua est hic usque ad
consummationem seculi? Ut quod ait in medio multorum hoc ita accipiamus, quod ab
eisdem multis honoratur. In medio quippe esse dicitur, cui honor precipuus
exhibetur. Sic autem cor est tamquam hominis medium. Nichil melius intelligitur
dictum quam in cordibus multorum laudabo eum. Habitat enim Christus per fidem
in cordibus nostris; et ideo ait in ore meo, id est in ore corporis mei, quod est ecclesia.
Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem. Qui as-
titit a dextris pauperis. De iuda dictum erat et dyabolus stet a dextris eius,
qui suas divitias augere voluit Christo vendito. Hic autem dominus astitit a dex-
tris pauperis, ut divitie pauperis sint ipse dominus. Astitit quippe a dextris
pauperis, ut divitie pauperis sit spes domini. Astitit quippe a dextris paupe-
ris, non ut ei multiplicaret annos vite quandoque finiende, neque ut eius auge-
ret pecuniam, aut eum faceret corporis viribus fortem, vel ad tempus incolomem,
sed ut salvum faceret a persequentibus, inquit, animam meam. Salva fit autem
a persequentibus anima, si non eis consentiatur ad malum. Non eis autem consen-
titur, cum assistit dominus a dextris pauperis, ne ipsa paupertate id est infirmitate
succumbat. Hoc adiutorium prestitum est corpori Christi in sanctis martyribus
omnibus. Explicit de psalmo .c.viii. Incipit de

QVANTVM DOMINVS DONAT psalmo .c.viiii.

Qui nos ministros constituit verbi et sacramenti sui
servire vobis ad opem misericordie sue. Suscepimus psalmum istum quem
modo cantavimus, brevem quidem numero verborum suorum, sed
magnum pondere sententiarum, adiuvante illo qui vos fecit
intentos, ut et nos faciat idoneos, sicut possumus considerare atque trac-
tare. Vivat anima vestra et vigilet in dominum. Tempus enim constituit deus pro-
missis suis et tempus eis que promisit implendis. Promissionum tempus